



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 26. De officio Sacristæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

cantandi Lectiones, Laudes, aliaque, seu eorum distributio ad canendum illi incumbat, & similiter ordo ac modus cantandi, pro tempore & solemnitate, præeatque in cantu. Ad eundem spectat determinatio delationis cereorum seu luminum: leves præterea castigationes Clericorum, aliaque similia, de quibus in *d. can. Perle-ctis*, §. *ad Primicarium Dist. 25.* & in *d. unico h. t.*

TITULUS XXVI.

De officio Sacristæ.

1. 2. *Sacrista quis, & officium illius.*
3. *Videri eundem cum Thesaurario.*

1. Sequitur quarto loco de officio Sacristæ, Sacrista dicitur à rerum sacrarum custodia, quasi sacristans; & idem est, qui Sacriarius: ut enim locus, in quo res sacræ reponuntur & aservantur, dicitur Sacriarium, *l. Sacra §. sacriarium D. De rerum depof.* ita qui rebus sacris præfici- tur, vocatur Sacrista, *e. unico h. t.*

2. Videaturque idem cum eo, quem in Ecclesi- is quibusdam Thesaurarium vocant: aliter Cimeliarcha dicitur, *l. fin. in fine Cod. De bonis auclor. lnd. possiden.* & utriusque videtur idem esse munus atque officium, ut colligi videtur ex *can. Perle-ctis*, §. *ad thesaurarium in fine Dist. 25.* & *d. e. unico h. t.* ubi Sacrista dicitur subiectus esse Archidiacono.

3. Et ad ejus curam pertinere custodiam sa- crorum vasorum, vestimentorum Ecclesiastico- rum, seu totius thesauri Ecclesiastici (qui magis in vasis sacris & instrumentis Ecclesiasticis, quam in pecunia numerata consistit) nec non quæ ad luminaria pertinent, Et in *d. can. Perle-ctis*; dicitur ad Thesaurarium pertinere basilica- rum & ostiarii ordinationem, incensi & lumina- riorum præparationem, curam baptisterii ordi- nandi. Ex quo loco, ut ex ante dictis patet. Sacristam nudum habere officium, absque ulla ju- risdictione aut Præeminentia, *Rota tit. de præb. Decif. 9. aliàs 353. in novis.* Potest tamen eidem per consuetudinem vel privilegium attributa jurisdictione accedere dignitas, *Rota ibid.* Idque ostendunt delegationes Pontificiæ Thesaurario- rum, Turonens. *in c. Ex tenore 11. inf. De foro, comp.*

Linconensis, in *c. signif. 18. inf. De convers. coniu- gat.*, & Nivernensis, in *c. Cum olim 32. inf. De offi- cio & potest. lud. deleg.*

TITULUS XXVII.

De officio Custodis,

Denique Custos quasi minister est Sacristæ *secundum Glos. & Pan. ad rubr. hoc tit.* ideoque de ejus quoque officio aliquid subicien- dum est. Illud autem consistit in his, ut non tan- tum ad horas Canonicas pulset jussu Archidia- conis, sed & pallia vel linteamina altaris, eundem- que utensilia Ecclesiæ indefinenter custodiat, in lampadibus & lucernis diligenter accendendis & extinguendis privileg. existat *e. 1. h. t.* panem, & vinum omni tempore ad Missam præparatum habeat; oblationes seu elemosinas Clericis sin- gulis distribuatur, *d. e. 1. & 2. h. t.* Et hic vix un- quam videtur habere jurisdictionem, aut digni- tatis vel minimam partem.

Cæterum non est magna vis faciendi in hoc, vel ante dictis nominibus, eorumque officijs de jure statutis, sed omnia referri debent ad consue- tudines Ecclesiarum, pro quarum diversitate nomina ista variantur, & pariter eorum officia.

TITULUS XXVIII.

De officio & potestate Vica- rii.

§. I.

Vicarius quis, & quotuplex.

1. 2. *Vicarius alius Perpetuus, alius Temporalis.*
3. *Perpetuus habet se adinstar beneficiarii.*
4. 5. *Non etiam Temporalis.*

Consideratis eorum officiis, qui deserviunt Ecclesiæ nomine proprio: sequitur de iis, qui deserviunt nomine alieno; eujusmodi sunt Vicarii, Dicitur enim Vicarius à Vice, quod